



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ss. Martyrvm Crvciatibvs Antonii Gallonii Rom. Congregationis Oratorii Presbyteri Liber

Gallonio, Antonio

Romae, 1594

De diuersis alijs modis, quibus sancti Christi martyres igne torquebantur.
Cap. Octavvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10704

De diuersis alijs modis, quibus sancti Christi martyres

igne torquebantur.

CAP. OCTAVVM.

Docebat totos dies tenebrarum ille princeps, mendacijq. pater diabolus Idololatræ Imperatores, & eorum ministros, quomodo possent Christi famulos, præter iam dicta cruciatuum genera, alijs etiam atque alijs eosdem excruciare. Quamobrem eueniebat, vt eorum aliqui per pavementum carbonibus candentibus stratum nudis pedibus incedere compellerentur; ex quorum numero Tiburtius Romanorum nobilissimus, & Pontianus extiterè: alij vero vt in ignem ibidem consumendi conijcerentur. sic martyrij palmam adepti fuere Polycarpus, Theodora, Euphrosina, Flauia Domitilla, Fructuosus Episcopus, Augurius, Eulogius, Cyrion, Bassanus, Agathon, Moses, Emilianus, Agapes, Chionia, Hirenès, Timon diaconus, Pulio, Antonia virgo, Christes, & Calistes, alias Christina, & Calista, Theophila nobilissima virgo, & viginti millia Christianorum, de quibus Græci in Menologio quinto Kal. Ianuarij his verbis agunt:

Certamen sanctorum viginti millium martyrum sub Maximiano Imperatore apud Nicomediam combustorum. hæc Menologium.

Præterea eiusdem Satanae inductu aliquando Christi fidelium corporibus, aut capitibus, vel intra ipsorum ora, aut aures, accensi carbones immittebantur; vel saltem in eadem membra, sanctis vitis nonnumquam lectis ferreis colligatis, liquefactum plumbum, oleum candens, resina feruens, cera, sulphur, & similia pariter liquentia infundebantur. Inducant apertissime omnia hæc & singula res gestæ sanctorum martyrum quamplurimæ, nimirum Agapiti a Petro descriptæ lib. 7. cap. 74. Timothei, atque Apollinaris ab eodem lib. 7. cap. 9. Erasmi a veteribus nostræ bibliothecæ codicibus manulexaratis, Pelagij a Petro lib. 7. cap. 120. Ionæ & Barachisij a Metaphr. apud Su-

Abba Tiburtij vetera manuscripta sub S. Sebastiani nomine.

Pontiani Surius tom. 1.

S. Polycarpi Acta refert Eusebius lib. 4. c. 14.

& vetera manuscripta.

Theodore, Euphrosine, & Domitille nos in histor. nostra SS.

virg. Romanarum.

Fructuosus, Eulogius, & Augury Martyrol. Rom.

12. Kal. Febr. & Prudentius peristephan. hym. 4.

Cyrionis, Agathonis, & Bassani, & Moysi Petrus lib. 3. c. 124.

Emiliani Martyrologium, & Menologium 5. Kal. Augusti.

Sanctarum Agapis, Chionie, & Hirenis Surius tom. 2.

Timonis Petrus lib. 4. c. 66.

Pulionis idem eodem lib. c. 94.

Antonie Petrus eiam lib. similiter 4. c. 123.

SS. Christes & Calistes vetera manuscripta sub B. Dorothee virginis inscriptione.

Theophila virginis Sur. tom. 6. ex Metaphrasi.

vbi etiam de sanctis viginti millibus.

rium

rium tom. 2. Victoris militis a Mombritio tom. 2. Felicis & Fortunati a Petro lib. 4. cap. 167. Primi ab eodem lib. 4. cap. 151. Bonifacij a veteribus manuscriptis, Claudij & sociorum a Surio tom. 4. Tharaci a nostræ bibliothecæ peruetustissimis codicibus, Dulæ a Surio tom. 3. Platonis a Metaphr. Suriij 4. Agathangeli ab eodem Suriij 1. sub sancti Clementis Ancyrani inscriptione, Quintini a Surio tom. 5. Miniatis militis ab eodem tom. similiter 5. & aliorum innumerabilium.

*De martyribus
super acutissimis
testulis atque ar-
dentibus carbo-
nibus volutatis.*

*In manibus SS.
martyrum pune-
batur aliquan-
do ignis cũ ihu-
re.*

*S. Cyrille mar-
tyrium.*

His itaque cruciamentis in Christianos olim adhibitis non contētus dæmon, fuit in causa, vt Christi martyres in acutissimis testulis, atque carbonibus ardentibus, vestibus nudati, non sine maximo eorum dolore iterum ac sæpius volutarentur, vel vt carbones ardentes cum thure super manum positos tenere ante idolorum aras diu impellerentur; vt si forte euenisset eos excussisse prunas, thus falsis Gentium dijs obtulisse viderentur. Primi cruciatus generis fidem faciunt Acta sanctorum Firmi & Rustici a Petro recitata lib. 2. cap. 42. Agathæ a veteribus manuscriptis, & a Surio tom. 2. & Macræ virginis a Petro lib. 2. cap. 50. Alterius vero generis testimonium dant res gestæ Procopij martyris a Metaphr. apud Surium tom. 4. relatæ, & B. Cyrillæ virginis a Menologio 3. Nonas Iulij his verbis:

Commemoratio sanctæ martyris Cyrillæ. hæc sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, ex vrbe Cyrenæ, quæ est in Libya, cum accusata esset apud Dignianum Præsidem, astitit cum Lucia & Roa deuotis mulieribus: cumque persuaderi non posset, vt idolis immolaret, in eius ipsius manus iniectis carbonibus, & thure, cogebatur sacrificare. Illa vero clamans, Non est, inquit, hoc inuoluntarie factum, sacrificium offerre. Combustis autem digitis, suspensa laniata est: mox de ligno detracta, ex plagis quidē sanguis, ex mammis vero lac instar torrentis defluebat, & sic beata martyr spiritū Deo tradidit.] hæc Menolog.

Vnum hic velim, lector, scias, consueuisse Iulianum Apostatam Christianos milites decipere, dona illis pollicendo, si thus Imperatoriæ largitionis die ad ignem adoleuissent. huius rei testem habemus B. Gregorium Nazianzenum inuectiua prima in dictum Imperatorem ita scribentem:

Impe-

Imperatoria largitionis dies aderat, siue anniuersarius (Iuliani Apostatae scilicet) siue tunc ab Imperatore pro sua improbitate ac versutia ex tempore ita institutus; atque adesse milites oportebat, vt pro suo quisque gradu & dignitate donatium acciperent. Rursus illiberalitatis scena; rursus impietatis fabula. Etenim benignitate quadam crudelitatem condire studet, militumque vecordiam, & auaritiam, quas magna ex parte vitæ comites habent, pecunijs allicere, atque inescare. Ille igitur splendidus præsidebat, splendide aduersus pietatem festum diem agens, atque ob astuta sua consilia magnopere animo elatus. Melampum quemdam, aut Proteum suspicari posses: ita in omnia vertebatur, facileq. se ipsum in diuersas formas immutabat. Quæ autem circa ipsum erant, qualia tandem, quantisque luctibus & querelis apud cordatos homines digna, non ijs solum, qui tum affuere, sed ijs etiam, qui nunc spectaculum illud auribus vsurpant? Proponebatur aurum, proponebatur thus: in propinquo erat ignis, hortatores ad latus. Porro quam plausibilis species, vt Imperatoria largitionis hic mos esse videretur, antiquioris vtique, & præstantioris. Quid deinde? thus incendere oportebat, atque ita exitij mercedem ab Imperatore accipere tantillam tantæ rei, hoc est, ipsarum animarum, impietatisque aduersus Deum. O miserum quæstum! o miseram mercedem! Exercitus totus vnica techna & fraude venalis prostabat; & qui vniuersum orbem terrarum armis subegerant, paruo igne, atque auro, ac per exiguum suffitum corruiebant, magna ex parte ne suam quidem necem (quod omnium grauissimum erat) agnoscentes. Aderat quispiam vt lucrum facturum: at post lucrum, ne se ipsum quidem habebat. Dexteram Imperatoris adorabat, nec se carnificem suum adorare norat. Quod si qui etiam id agnoscerent, nihil tamen propterea hinc ipsis accedebat, quippe malo semel occupatis, ac primam stoliditatem pro eiusmodi lege, quam infringi nefas esset, ducentibus. Quæ Persarum myriades, qui sagittarij, qui fundibularij, quis ferreus exercitus, atque vndequaque a vulneribus tutus, quæ tormenta diruendis muris admota, ea efficere potuissent, quæ manus vna, & tempus vnum, & nefarium consilium perfecit?

Metus nos Imperatorum.

Impia Iuliani calliditas.

*mirum illud
e. m. s. m. s.
obstant.*

*Tunc illud
mirum quod
e. m. s. m. s.
obstant.*

*at he. m. s. m.
obstant.*

Militum deceptorum miseria.

Y

Hic

*Pulchra narra-
tio.*

*Militū quorum-
dam zelus, &
fortitudo.*

*Militum ad Lu-
lianum oratio.*

Hic narratiunculā quamdam admiscebo; superioribus tristio-
rem, & miserabiliorem. Ferunt, quosdam eorum, qui per igno-
rationem capti ac circumuenti fuerant, postquam contracta hac
calamitate domum se recepissent, vna cum contubernaliis suis
ad mensam accubuisse: deinde cum conuiuium ad consuetam
frigida potationem processisset, non secus ac si nihil grauius ipsis
accidisset, ad aquæ poculum sublatis in altum oculis Christum
cum Crucis signo appellasse. Cum contubernaliū quidam id mi-
ratus fuisset, dixissetq. Quidnam est hoc? Christum post abiura-
tionē inuocatis? illos statim his verbis exanimatos dixisse: Quo-
tandē modo abiurauimus? & quinā hic nouus sermo est? Hunc
vero respondisse: Quoniam ad ignē thus adoleuistis: quod idem
omnino est, ac Christum abnegare. Tum vero illos, nulla inter-
posita mōra, e conuiuiū exilientes, velūt furiosos & mente cap-
tos, ac zelo & iracundia æstuantēs, per forum cucurrisse, atque
in hæc verba exclamasse: Christiani, Christiani animo sumus:
audiant omnes mortales, & ante omnes Deus, cui & viuimus,
& moriemur. Fidem tibi datam, Christe Saluator, non fregi-
mus: beatam confessionem non abiurauimus. Si quid manus
peccauit, mens certe minime secuta est. Imperatoris fraude cir-
cumuenti, non auro sauciati sumus. Impietatem exuimus, per
cruorem purgamur. Posteaq. ad Imperatorem celeriter profe-
ctos, atque aurum forti ac strenuo animo proijcientes, ad hunc
modum exclamasse: Non dona accepimus, Imperator, sed morte
damnati sumus. Non honoris causa vocati, sed ignominia no-
tati sumus. Da hoc beneficium militibus tuis: Christo nos
macta, atque obtrunca, cuius vnus imperio subijcitur. Ignem
igne repende: pro cinere illo in cinerem nos redige. Manus am-
puta, quas scelerate porreximus; pedes, quibus male cucurri-
mus. Alios auro dona, quos accepisse postea non poeniteat: no-
bis satis superq. est Christus, quem instar omnium habemus.
Quam cum orationem habuissent, simulq. alios hortarentur, vt
fraudem intelligerent, atque ab hac temulentia se colligerent,
Christoq. sanguine suo satisfacerent: tum vero Imperatorem
ira incensum, aperte quidem illos interficere noluisse, ne mar-
tyres efficerentur, qui, quantum in ipsis erat, martyres erant;
exilio

exilio tamen multasse, ac pœna ea contemptum sui vindicasse, maximoq. eos beneficio affecisse, quos a piaculis suis, versutisq. consilijs procul remouisset.] hæc beatissimus Nazianzenus; quibus sine dubitatione vlla docemur, fortissimos Christi athletas neque his contumelijs ac fraudibus iniquissimi Imperatoris e gradu pietatis deiici potuisse, immo constantiore animo ex hoc ad mortem pro Christo perferendam effectos fuisse. quocirca inanis ea Iuliani cogitatio, irritusq. pariter conatus ad eos a Christi fide auertendos extitit.

Milites exilio
multantur.

*Duo alij modi consimiles, quibus Gentiles decipere
posse Christianos arbitrabantur.*

Narrat Eusebius historiæ lib. 8. cap. 3. fuisse nonnumquam Christianos, Diocletiano imperante, vi in sacrificantium numerum, vt idolis immolasse viderentur, relatos; sic namque ait:

Ex ceteris autem quisque varia tormentorum genera alternis subijt: hic plagis toto corpore dilaceratus; ille excruciatu dissectione membrorum; alius acutis & intolerabilibus nouaculis dilaniatus. Inter quos nonnulli erant, qui vix satis honestum vitæ exitum consecuti sunt; alij item, qui sine fructu certamen decurrerunt. Nam vt vnus infidelium violentia contrusus, & ad sacrificia illa nefaria impuraq. deductus, quamuis non immolaret, tamen perinde atque si immolasset, libere dimissus est: sic alter, quamquam non omnino appropinquauerat, neque quicquam attigerat impuri; Gentilibus tamen eum sacrificasse affirmantibus, tacitus eorum tulit contumeliam, seq. inde proripuit. Alius seminius sublatus, velut iam mortuus projicitur. Quidam prostratus humi, inq. numerum sacrificantium relatus, longinquo spatio pedibus abstrahitur. Alius vociferatus est, & magna voce contestatus, se hostias penitus repudiare. Alius salutaris Christi appellationis confessione gestiens, se Christianū esse clamauit. Alter neque immolasse, neque aliquando se immolaturum, asseueranter affirmauit. Attamen isti etiam frequentibus satellitum ad eam rem delectorum manibus in os verberati, & ad silendum compulsi, in vultum quoque &

Varij Christianorum cruciatus & contumelia. Eadē habet Nicephorus lib. 7. cap. 4.

Christiani cogebantur immolatas carnes edere, & sacrificiorum vini degustare.

genas percussi, vi e medio extrusi fuerunt. Ita pietatis hostes omnino vel videri effecisse, quod animo intendebant, permagni aestimarunt.] haecenus Eusebius. *Amplius ad idem quoque ostentandum vsui habebant ijdem Satanæ ministri immolatas carnes vi in os Christianorū immittere, vinumq. sacrificij ibidem, ipsis pariter inuitis, infundere. Quamobrem in Actis sanctorum martyrum Tharaci, Probi, atque Andronici Proconsularibus, quæ manu lezarata habemus, huiusmodi verba hominum memoriae sempiternæ traduntur:*

Post hæc præcepit Præses afferri carnes immolatas, & vinum sacrificij, & ait: Infundite illi vinū, & carnes de ara mittite in os eius. Cumq. hæc agerentur, dixit Probus: Videat Dominus, & aspiciat de altissimis sedibus suis vim, & iudicet iudiciū meum. Præses dixit: Multa sustinui, miser, & ecce iam sacrificium accepisti. Probus dixit: Nihil magnū fecisti, vim faciens: Dominus scit voluntatem meam. Præses dixit: Et manducaisti, & bibisti. Probus dixit: Scit Dominus, & vidit vim, quam patior.] & paulo post de B. Andronico hæc subduntur:

Præses dixit: Aperite os eius, & mittite carnes de ara, & vinum infundite. Dum hæc agerentur, Andronicus dixit: Domine, Domine, vim patior. Præses dixit: Usquequo sustines positus in pœnis? Ecce gustasti de sacrificio. Andronicus dixit: Peccant omnes, qui colunt idola, tu, & Principes tui.] hucusque Acta.

Varijs modis igni martyres tradebantur.

Sed eo iam, vnde huc, longius quam voluntas fuit, digressi sumus, reuertamur, aggrediamurq. ad alia, quæ supersunt, explicanda, nempe ad modos, quibus olim sancti martyres igni tradebantur, qui quidem varij diuersiq. fuerunt. Quandoque enim stipitibus erectis affixi, circum ipsos ignis accendebatur, vel ad quatuor palos subiecto igne extendebantur: quandoque vel in fornaces ardentes, ardentemq. rogam, aut in fossas prunis plenas iniiciebantur, vel saltem in cupas immittebantur: nonnumquam vero cubiculis, templis, balneisque, in quibus Gentium iussu inclusi stabant, incendio inflāmati absumberantur; vel lineis funibus oleo perfusis ligati, sulphure, & resina conspersi, aut pedibus lineo in oleum intincto, incensoq. obuolutis, vel

tandem

tandem in nauiculas pice & stupa refertas, vt in mari comburentur, immisso igne, impositi, impollutum, immaculatumq. spiritum Deo omnium creatori & effectori feliciter fausteq. reddebant.

Testes sunt horum omniū Acta martyrum: primi* res gestæ sanctorū Polycarpi ab Eusebio recitatæ lib. 4. cap. 14. & a veteribus nostræ bibliothecæ manuscriptis; Tharaci a Metaphr. Lipom. 6. & Surij 5. Alterius* modi testes item sunt Acta S. Anastasiæ virginis & martyris Romanæ a nobis in historia nostra Sanctarum virginum Romanarum. Tertij* autem generis, quarti, quinti, ac sexti, Acta beatorum Emiliani, de quibus nuper facta est mentio, Fidei, Spei, & Charitatis sororum ac virginum a Mombratio tom. 2. & a peruetusto quodam nostræ bibliothecæ libello manu exarato, S. Agnetis virginis a nobis in historia SS. virginum Romanarum; Apolloniæ similiter virginis ab Eusebio hist. lib. 6. c. 3. Paphnutij a Metaphr. apud Surium tom. 2. & S. Dorotheæ virginis a veteribus manuscriptis; in quibus de Christe & Caliste sororibus, B. virginis Dorotheæ opera ad cultum Christianæ religionis, a quo defecerant, reductis, hæc verba narrantur: Misit Præses nunciū ad Christem, & Calistem, iubens eas cum Dorothea venire ad se: quas cum tulisset in partem, cœpit ab eis inquirere, num Dorotheæ animum permouissent. At illæ vno ore responderunt: Errauimus, & satis inique egimus, dum timentes pœnas & dolores momentaneos, sacrificauimus idolis vanis: & ideo rogauimus eam, & dedit nobis pœnitentiam, vt possimus ad Christi indulgentiam peruenire. Tunc Sapritius (sic enim vocabatur Præses) scidit vestimenta sua, & cum furore nimio iussit, vt dorsis inter se colligatæ mitterentur in cupam, si sacrificare nollent.] & cetera, quæ ibi sequuntur.

Septimi vero generis fidē faciunt Acta SS. Domnæ ac Theophilæ virginum a Metaphr. apud Surium tom. 6. descripta, & sanctarum Romanarum similiter virginum, Flauiae Domitillæ, Theodoræ, Euphrosinæ, & Cæcilie recitata a nobis in historia nostra Sanctarum virginum Romanarum.

* Martyres stipitibus erectis affixi igne cremabantur.

* Martyres quædoque cremabantur quatuor palis alligati.

* Martyres nonnumquam in fornaces ardentes, ardentemq. rogam, aut in fossas carbonibus accensis plenas, vel in cupas, vt vreretur, immiscebantur.

Quid

Quid sit calore balnei torreri.

Quoniã in B. Cæciliæ rebus gestis legimus, fuisse eam in calore balnei sui inclusam; ideo scire oportet, habuisse veteres hanc consuetudinẽ, vt noxios & reos homines, vel Christianos in balneis quandoque necarent: Siquidẽ recludere eos nonnumquam solebant in prima balneorum camera, quæ Laconicum, vel sudatorium appellabatur; vt ibidẽ nimio calore suffocati, vitam cum morte cõmutarent. Thermæ enim quatuor constabant cameris; quarum prima, cuius vsus erat ad excitandos sudores, sudatoriũ, vel Laconicum, aut calidarium, quo large sudor emitteretur, nominabatur; aliæ vero calidarium, tepidarium, ac frigidarium.

Thermæ quot cameris constarent.

In Laconico noxij aliquando visa priuabantur.

In prima, nempe, Laconico (vt iam innuimus) SS. martyres quandoque vita priuabãtur. quocirca in rebus gestis sanctæ Cæciliæ virginis huiusmodi verba cõperies: Tunc valde iratus Almachius Iudex, iussit eam, id est, Cæciliam, reduci in domũ suam, & illic balnei calore consumi. Cum autem esset in aere calido balnei sui inclusa, & subtus tota die ac nocte magna vis lignorum adhiberetur; illic illæsa, tamquam in frigidario locata, permansit, saluaq. Domini gratia, adeo vt nulla pars omnino ex eius membris fuerit vel in minimo sudoris signo humefacta.] hæc ibi: quibus instruimur, in Laconico, qui in balneis necabantur, fuisse inclusos: nam Galen. lib. 10. methodi, de Laconico scribens: Ingredientes, inquit, in aere primum versantur calido, hoc est, in Laconico: deinde in aquam calidam descendunt.] hucusque ille.

Monemur præterea eiusdem sanctæ virginis Actis, tunc Laconicum ad inferendam reis necem fuisse accommodatum, cum clausi in eo viri, vel mulieres, magna continuo lignorum ardentium vi subtus huiusmodi cameram adhibita, detinerentur.

Porro si alia de balneis desideras, lege Zosimum lib. 2. Vitruuium lib. 5. cap. 10. Celsum lib. 1. cap. 4. Aulum Gellium lib. 10. cap. 3. Galenum loco citato, & ex recentioribus Andream Baccium lib. 7. de balneis cap. 1. & sequentibus.

Andreas Baccius de Balneis.

Ceterum prosequamur nunc alios modos, quibus etiam Christiani

stiani

Amphiani a Gentilibus igne cremabantur, nimirum octauum, nonum, ac decimum, quorum omnium fidelissimi testes sunt Acta Sanctorum: postremi sanctæ Restitutæ virginis ac martyris res gestæ a Rom. Martyrologio descriptæ 16. Kal. Iunij: octauum vero, & nonum, passiones Amphiani & Vrsicij: illius a Martyrologio quarto Non. Aprilis his verbis:

○ Casareæ in Palæstina natalis sancti Amphiani martyris, qui in persecutione Maximini, cum Vrbanum Præsidem idolis immolantem arguisset, sæue dilaniatus, ac pedibus lino in oleum intincto, eoque incenso obuolutis, acerbissime cruciatus, demum in mare demersus, transiens per ignem & aquam, eductus est in refrigerium.] Alterius, hoc est, Vrsicij a Menologio 9. Kal. Septemb. sic:

○ Commemoratio sancti martyris Vrsicij, qui sub Maximiano Imperatore ex vrbe Sibento, vrbe existente supra Illyricos, delatus apud Imperatorem, traditus est Aristidi Præsidi; cumque in confessione stabili constanter permaneret, neruis bouum verberatur vehementer, postea lineis funibus oleo perfusis inuolutus, sulphure & resina conspersus, succensus est: postremo lata sententia sanctus vir Vrsicius a Valente delatore strieto gladio interfectus est. Itaque martyrio functus, a fidele quadâ muliere, Simplicia nomine, sepulturæ traditus est.] Scribit de hoc eodem sancto viro Martyrologium Romanum loco nuper citato; de altero vero id est, de Amphiano, Eusebius lib. 8. c. 14. & 15. & Surius tom. 2.

De tunica molesta martyrij instrumento.

Similia valde sunt, nisi eadem dicere velimus, hæc cruciatuum genera, quibus gloriosissimi Amphianus & Vrsicius affecti fuerunt, supplicio illi acerbissimo, quod veteres tunicam molestam nuncuparunt, quæ ignium alimentis illita & intexta (vt Seneca epist. 14. testatum reliquit) ac mox succensa, dire obuolutos noxios, qui sceleris grauioris comperti forent, incendio absumebat. Meminit huius cruciamenti Tertullianus lib. 6. ad martyres, & Cælius lib. 10. cap. 5.

Tormento

Tormento huic simili ab hæreticis cruciatus fuit Domitius Hurleus, vt testatur Theatrum crudelit. hæret. nostri temporis; qui a Gregorio Pont. eius nominis XIII. ob pietatis virtutisq. singularis præstantiam, Archiepiscopus Casseliensis, in Hibernia naturali patria, creatus erat. Siquidẽ accusatus, quod Confirmationis sacramento infantes aliquos muniuisset, comprehensus est; & quia fidei Catholicæ renunciare noluit, furore hæreticorum, quæstionibus subiectus fuit: ocreæ enim oleo plenæ illius pedibus iniectæ fuerunt, & ligatus deinde in sella lignea, vt moueri non posset, ingentem ante focum collocatus fuit: sicque vi flammæ ocreis adustis, tibiæ simul concrematae fuerunt; adeo vt euellentes tum inde hæretici ocreas, ad genua vsque carnem auulserint, relictis solis ossibus nudis. Post hæc quodam mane, hora circiter tertia, aut quarta, vimineo constrictus laqueo, quo langueret diutius, suspensus fuit, & sic ad cælum martyrij corona laureatus euolauit.

Ceterum quia tunicæ molestæ occasione, de Catholicis ab hæreticis nostri temporis igne diuexatis habitus est sermo; ob id, ne videamur potissimum antiquos martyres Orthodoxos prætermittere, qui ab antiquioribus hæreticis sub Constantio, Valente, Leone Isaurico, & Constantino Copronymo impijssimis Imperatoribus, & sub Vuädalis Arianis ignis supplicio varie affecti fuere; aliqua ex SS. Patribus, aut ex eorum saltem rebus gestis in medium adducemus.

Et primum de Catholicis sub Constatio igne excruciatihæc Athanasius ad solitarios: Omnesq. eos, id est, Orthodoxos, vt carnifices, vt maleficos, vt latrones auersati sunt: quippe qui & monasteria euerterint, & ignes iniecerint ad monachos comburendos, domosq. diripuerint.] & in Apologia *: Virgines enim ignibus flammantis rogi admotas adigebat ad confessionem Arianæ religionis.] hucusque Athanasius.

Amplius de Catholicis sub Valente hæc Theodoretus historiae lib. 4. cap. 22. Constantinopoli autem, Ariani nauem pijs presbyteris refertam, sine armamentarijs in altum propellunt. Deinde quibusdam suæ sectæ fautoribus in aliud nauigium impositis, mandatum dant, vt nauem presbyteris refertam incendant

* De fuga sua.

Nauis presbyteris Catholicis referta ab Arianis incensa perijt.

dant. Quare confecta, presbyteri cum igne & mari paulisper consistantes, tandem in profundum demerguntur, coronamq. martyrij recipiunt.] hæc ille. His similia videre poteris in Sozomeno lib. 6. cap. 14. & Socrate lib. 4. cap. 13.

Præterea de Catholicis sub Vuandalorum persecutione hæc Victor lib. 3. Hos fustibus, illos suspendio, alios ignibus concremabant.] & eodem lib. in sanctorum Liberati & sociorum passione: Hoc autem, inquit, Tyrannicas peruenit ad aures. Qui ebrietate furoris accensus, iubet eos adhuc inauditis supplicijs adigi, & maioribus vinculis onerari, nauimq. imperat lignorum aridorum manipulis adimpleri, atque in eadem omnibus alligatis, in medio pelago igne supposito, concremari, &c.]


Postremo de Orthodoxis sub Leone, aut Cōstantino Copronymo, sic Romanū Martyrologium IV. Kal. Septēbris: SS. Hy-
patij, & Andreae presbyteri, qui ob cultum sacrarum imaginum
a Leone, barba pice illita, & incensa, & cute capitis extra-
cta, iugulati sunt.] Idem in S. Stephano Iuniore, IV.

De barba pice illita, & incensa.

Kal. Decembris, qui eodem supplicio sub Copronymo affectus fuisse dicitur. habentur huius sancti viri Acta in fine operum B. Damasceni, & in Surio tom. 7.
Et hæc de his.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and mostly illegible due to fading and bleed-through.


Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



- A* Igni tradebantur SS. martyres vel in fossis ardentibus carbonibus refertis,
B Vel ad quatuor stipites alligati,
C Vel in cupas,
D Aut in rogam iniecti,
E Quandoque vel stipitibus erectis, funibus oleo & consimilibus illitis ligati,
F Aut in propriis adibus, vel carcere inclusi,
G Denique vel in fornacem deturbati,
H Aut in nauim impositi, & in altum deuecti.



Faint, illegible text or a list of entries, possibly a table of contents or a list of items, located below the illustration. The text is too faded to be read accurately but seems to be organized in a structured manner, possibly with columns and rows.



- A* Martyres ardentibus prunis impositi volutari in eis solebant.
B Nonnumquam in lectulis ferreis ligati, liquato plumbo, resina feruenti, & pice cruciabantur.
C Aliquando sub axillis, ferris ignitis semiustulabantur.
D Aut etiam nudis pedibus per candentes carbones incedere cogebantur.



1. Natus est in die 22. Maii 1711. in loco qui dicitur Eraciat.
2. Natus est in loco qui dicitur Eraciat. in die 22. Maii 1711.
3. Natus est in loco qui dicitur Eraciat. in die 22. Maii 1711.
4. Natus est in loco qui dicitur Eraciat. in die 22. Maii 1711.